

ille pro temerario accessu gratiam, set debitam exceperit ultionis sententiam. Non obtinebit et iste pro temerario accessu gratiam, set meritam excipiet temeritatis sue^a vindictam.

13 In libro Machabeorum primo legimus¹, quod Iudas Machabeus et populus, qui cum eo erat, mundaverunt^b sancta, que prius ritu lege instituto sanctificata et a gentibus contaminata erant. Illud vero altare, quod gentes construxerant atque sanctificaverant, non emundaverunt, sed a solo penitus destruxerunt et lapides eius in loco immundo reposuerunt. Quantum vero attinet ad rei istius misterium, quid refert inter gentilem et symoniacum? Sacrat gentilis altare, qui non accepit a Deo id facere, atque idcirco peccat, quia illud consecrare presumit et usurpat. Sacrat et symoniacus altare, cui omnino fas non est id facere atque idcirco peccat, quia illud sacrilega presumptione et ut ita dicam velit nolit Deus consecrare attemptat. Denique si verum est avaritiam esse idolatriam, sicut ait apostolus², quis avarus dicitur idolatra, si idolatra non dicitur symoniacus, qui etiam Dei bonitatem pecuniam venalem putat? Quibusdam itaque nostrum videtur quia altare, quod symoniacus sacrat, nulla emundari sanctificatione potest, set prorsus a solo destrui ex auctoritate debet. Quod de altari dicimus, hoc ipsum de aliis sacratis rebus sentimus.

14 Vt igitur questionis nostre partem unde agimus summatim colligamus, attende et paucis. Multis de causis, auctoritatibus atque exemplis dicimus^c, quia symoniacus nichil ab ordinante accipit, nichil ipse ordinando aliquem illi tradit. Gratia enim Dei seu emi seu vendi non potest. Ipsa vero officiorum signa que suscipit, quia furatur et rapit, nichil ei conferunt nisi maledictionem sicut scriptum est: *maledictus qui facit opus domini fraudulenter*.³ Ad nullum denique sacramenti effectum ea ab eo alii accipere possunt, immo dampnato fit particeps, quisquis ab eo id scienter accipere conatur, unde ille fur et damnationis reus esse notatur. Hec igitur ita se habent.

15 At vero ex alia parte per totum fere orbem terrarum videmus loca sacra sicut aiunt a symoniis sacrata sic manere neque cognita huius benedictionis sacrilega usurpatione more sueto illa sacrari, set solummodo per debitum reconciliationis ordinem

^a) suam

^b) manducauerunt *korr. aus* manduerunt

^c) dcimus

¹) Cf. 1. Macc. 4, 43 ff. ²) Cf. Eph. 5, 5; Col. 3, 5. ³) Jer. 48, 10.